CENTRALE V. E. [illegible]

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
RC 864

Digitized by Google

Digitized by Google

~~Auct. C. 563. 6~~

Ille ego, qui quondam gracili modulatus
[illegible]

Sic tatur [illegible]

Rex [illegible]

Res [illegible]

[illegible]

[illegible] 6 21. B. 27

[illegible]

RC 864

CAMILLI.QVERNI.MONOPOLITANI ARCHIPOETAE. DE BELLO NEAPOLITANO. LIBRI DVO.

CARMINE HEROICO COMPOSITI

AD

CAROLVM.V.IMPERATOREM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Antonius Marſus Epicurus ad lectorem.

Qui cupit obſeſſam Gallis, terraq; mariq;
Crinibus abſciſſis cernere Parthenopen.
Sireneſq; alias flentes, Nymphaſq; per omneis
Anfractus, pulſas, patria flere loca,
Occluſumq; antro diſrupta & funditus urna,
Sebethum lachrymis ora rigare nouis,
Et pariter lauros, myrtos, & Citrea rura,
(Pro facinus,) poſitis collachrymare comis.
Regibus, & muſis, fontes, & prædia ſacra,
Diruta ab hoſtili quæq; iacere manu.
Et caſtra, obſeſſis iam iam quæ mille parabant
Funera, uincla, cruces, captaq; cæſa ſimul.
Principis Aonidum legat hæc monimenta Camilli.
Belligeros nati tollere in aſtra Duces.
Tuq; tuos longos Siren ſolare labores.
Nanq; uno æterna, & libera facta die es.

Idem, Ad Cæſarem.

Gallorum cepiſſe Duces, Regemq; ſuperbum,
Soluere Parthenopen, obſidione, fame,
Hæc te ſat notum duplex uictoria fecit.
Quaq; patent terræ, quaq; patent maria.
Sed uiciſſe trucem Romani nominis hoſtem,
Quem capiet Cæſar tertia palma locum.

Idem, Ad Parthenopen.

Iam ſileat iactare fidem, flammaſq; ſaguntum.
Maſſilia obſidium. mœnia hetruſca famem.
Cæſareis nam ſponte ſua fidiſſima ſignis,
Parthenope his uoluit horridiora pati.
Plaude tamen, quoniam, datur, ut ſi barbara caſtra
Te lacerent ſemper, ſemper humare tuum eſt.

Scipio Capicius, Patritius Neapolitanus, Ad lectorē.

Fortunæ motus uarios, & Cæſaris arma,
  Magnorumq; legis fortiter acta Ducum.
Hæc modo diuino deſcripſit carmine Quernus.
  Et dedit, ut uolitent docta per ora uirum.
Cæſaris accedit laus hæc non ultima fatis.
  Aeternum ut per tam nobile uiuat opus.
Oſtentare acie uires, & fortia facta,
  Magnum eſt. perpetuo carmine maius erit.
Sic cœlum Auguſtus meruit, ſic magnus Achilles.
  Sic tot, poſt mortem, uita redit ducibus.
Querne igitur uiues, per magni Cæſaris acta.
  Per carmen uiuent Cæſaris acta tuum.

Prudentius Tridentinus.

Andinus uates potuit ſuperare coæuos,
  Carminis altiſoni ſub grauiore tuba.
Sic Quernus cunctos, hac tempeſtate, Poetas
  Vincit. Caſtalii gloria prima chori.

Berardini Rotæ. Ad Cæſarem.

Non tibi magne nouis Cæſar gaudere triumphis,
  Tam licet, & laurus quod tegat ipſa caput.
Quam quod uictrices Aquilas, ſubiectaq; Geſa,
  Grandiloquo Querni pectore muſa canat.
Non alio ſcribenda forent hæc Cæſaris acta.
  Non alio hæc certe carmina digna legi.

A ii

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Inuictiſſimo Carolo, V. Imperatori Auguſto, fidiſſimam ſui animi ob ſeruantiam indicat.

Camillus Quernus Monopolitanus, Archipoeta.

OMNEM Belli Neapolitani ſeriē, quod Gallus multorum fultus auxiliis, in tuā Caſareā amplitudinē exciuit, celebremq; tuorum, in agro Parthenopæo, uictoriā, ſub pura ueræ hiſtoriæ fide, ſum carmine cōplexus heroico, ut tibi legenti, Cæſar magnanime, iucundior ſit lectio. Muſæo enim concentu mortalium animi magis excitantur, magiſq; oblectantur. Opus, licet immaturum, quod tibi non immerito nuncupaui, ſub tuo inclyto nomine excudendum curaui. quod hoſtibus Imperii adeo formidabile eſt, ut quoties arma in te uertunt, toties inglorii ad propria redeant. Illud ſerena frōte accipias, & poſt epulas relegas. ut quantum pro tuo augendo Imperio itala uirtus elaborauerit, facile cognoſcere poſſis, meoſq; labores, atq; uigilias, eo reſpicias animo, ut non incaſſum uidear cecinisſe. nec te prætereat, omneis Cæſarianorum triumphos, iampridē meo fuiſſe carmine celebratos. qui optimis typis excuſi, per manus hominum uolitant. Vale. & tui ſis memor Querni.

CAMILLI QVERNI MONOPOLITANI
ARCHIPOETAE
DE
BELLO NEAPOLITANO
AD
CAROLVM. V. IMPERATOREM
AVGVSTVM.
LIBER PRIMVS.

Inuocatio miſta propoſitioni.

MVSA REFER, CELTAS,
Quæ cauſa ad bella furenteis,
Atq; itali gemino fultos munimine Martis
Impulit in Daunum populos. turbare quietem
Parthenopes placidam. proceres diuellere magni
Cæſaris imperio, & ſtudiis, noua ſigna ſequenteis
Santonici Regis. ſubito confundere motu,
Peucetiæ, & Calabrum genteis, ſub Marte recenti
Attonitas, regniq; auidas, rerumq; nouarum
Incertas ſpectare uices, cæcoſq; tumultus.
Et mecum abſtruſas cauſas, motuſq; cruentos,
Sanguinei repetens belli, tu, Diua, canentem
Proſequere, & noſtro præſens occurre labori.
¶ Gallus ut aduerſas per regna, per oppida, magnæ Narratio.
Cæſaris, Heſperiæ, cernit diſcurrere turmas.

Signaq; Romanum uictricia ferre per orbem,
Vicinis ſubitos populis minitantia caſus.
Iam ſibi, iam regno metuit. ſimul altā paueſcit

Venetiæ.
Vrbs Venetum, gentis ſpes, & tutela latinæ,
Et terris, undiſq; potens. formidine belli

Florentia.
Dum trepidat, timet ipſa ſuos Florentia lapſus.
Nec mora, ſub ſtabili coiere in prælia iuncti
Fœdere. quos ſequitur forti ſub Marte timendus.

Henricus rex Angliæ.
Henricus rex ore potens, pollentior armis.
Imperio cuius nunc magna Britannia paret.
Vndiq; collectis conſurgunt uiribus omnes,
Ad fera bella citi. Gallorum hinc ſigna pateſcunt
Aeratas acies ducentia turbine magno.

Potentia Venetorum.
Hinc ſurgit Veneti non uana potentia Martis.
Terrarum, pontiq; horror. Hetruria ferrum
Excitat. & multo fulgenteis ære cateruas
Explicat. aſſiduis reſonant clangoribus auræ.
Sic bello atq; armis confunditur itala tellus.
Non aliter, quam ſi, terraq;, mariq; potenteis

Comparatio.
Aſpicias Thracas, ualida cum claſſe ruenteis,
In latios fines. magnus pauor undiq; cunctos
Concitat Auſonios, ſopita capeſſere forti
Arma manu, atq; hoſteis patria depellere terra.

At ne ſub uariis pollens exercitus auſis,
Milite diuerſo rueret, concordibus armis

Sed foret unanimis. bellorum laude ſuperbum,
Delegere Ducem. cui ſumma eſt credita pugnæ.

Eligitur Odetus Lautrecius Dux maximus exercit9

Lautrecium Odetum memorant. qui aſſeuit ab annis
Militiam teneris. & cuius uiuida uirtus,
Gallorum regi, in multis fuit agnita terris.
Ille ubi, feruentis belli moderator, habenas
Sumpſit. & accinctas, cernit parere phalanges,
Ad Ducis Imperium, uario de ſanguine lectas.
Conuocat extemplo proceres, ſua ſigna gerentes,
Milite multiplici ſeptos. quos prænitet inter
Andegauenſum de gente Loiſius alta,

Loiſius Andegauenſis præcipuus Dux peditum.

Præcipuus peditum ductor. quem Martia tollit
Gloria. Nauarri micat experientia Petri,

Petrus Nauarrus.

In belli auſpiciis. fulget Rangonius heros,
Inſignis Guidus. præduri Martis alumnus.

Guidus Rãgoni9

Et Dux magnanimus. cui terra Salutia paret.

Marchio Salutiarum.

A pepulis cognomen habens, nitet inclytus Vgo.

Comes Vgo hñs agnomẽ a pepulis

Ac plures alii. quos bellicus extulit ardor.
Hos poſtquam intentos aſpexit. talia fatur.
¶ Bellorum comites, quibus induit arma labantis
Libertas patriæ, multos calcata per annos,

Verba Ducis Lautrecii ad oẽs duces & milites ſuos.

Siccine crudeleis diſcurrere Cæſaris alas
Siccine Romulidum caſus patiemur inultos?
Roma ſub Imperio Chriſti, dominata per urbes
Innumeras, euerſa iacet, direpta cruento?

Milite Cæſareo, ſuperum pudor, omnia cœli
Numina, templa, Deos, manibus uertente profanis.
Addo, quod exitium Italiæ, celeremq; ruinam,
Tot mala, tot clades paſſæ, rabido ore minantur.
Quare agite, o, ſocii, ſæuos properemus in hoſtes.
Qui nunc Romuleis, tota bacchantur in urbe,
Diuitiis pleni, Veneris noua furta ſequentes,
Et Bromii infames, per mutua pocula, luſus.
Cæſareas noſtro frangentes robore uires,
Enerues acies italis pellamus ab oris.
Gloria ueſtra erit hæc, Hiſpanam excindere gentem,
Veſter honos, non dum ſaturatam ſanguine ueſtro.
Finierat. tum quiſq; nouos ad ſydera plauſus
Erigit. & ſubito ſuccenſus corda furore,
Attollit nudos, uix exorabilis, enſes.
Vt pote, qui cupiat celerare in mœnia Romæ,
Regnaq; Parthenopes, & Cæſaris arma potenti
Conſternare manu. penitus ſq; repellere terris
Barbaricum heſperiis uulgum. dare gentibus amplas
Libertatis opes, paçem, requiemq; latinis.
Protinus inſueto ſurgens Lautrecius auſu,
Fulminat inſubrum populos. ſubigiſq; pauenteis
Imperio Dux magne tuo. Fortuna laborem
Caſar fulgoſius uictor intrat Genuam, diſruptis hiſpanis. Proſequitur cœptum. quando Fulgoſius urbem
Ingreditur Genuam diſruptis Cæſar Iberis,

Reſtituens Gallo ligures, ſine turbine belli.
Nec mora, pugnandi cupidus Dux ordine luſtrat
Lautrecius luſtrat exercitum.
Agmina magnanimus, celeri gaudentia Marte,
Cuncta ſuo. peditum, ex Germano & milite gallo,
Lectorum, atq; italo, Viginti millia ſignat.
Mille ferentarios. fulgentibus undiq; tectos
Mille equites armis. tormentaq; bellica ducit.
Ferentarii.
Et ſubito inſubriæ imponens noua fræna timenti.
Inſtructa peditum, ac equitum comitante caterua.
Flumina magna padi ſuperat. ſic territat urbes
Lautrecius cũ exercitu tranſit padum.
Ingenteis. quæ mox uenientibus hoſtia pandunt.
Atq; hilares monſtrant animos: conuiuia feſſis
Grata parant ciues. hoſpita tecta recludunt.
¶ Spargitur interea, totam uulgata per urbem
Fama uolans, multo ſtipatas milite, denſas
Aduentare acies Gallorum. imponere leges
Gentibus & populis. & in Appula tendere regna.
Velleq; de ſumma rerum decernere ferro.
Cæſareas acies Romanæ opulentia terræ
Sopitas retinet, ſomni torpore iacentes.
Deſide flaccentes luxu. iam nulla ſuperbas
Armis, fama mouet, tanti prænuntia motus.
Non dormit Gallus. ualidas ſed in agmina uires
Et denſos cuneos, ſub ſigna patentia cogens,
Præcipites mouet ille gradus, confinia regni

Gallus ſupat Truẽtum, & in cõfinia regni Neapolitani intrat.

Intrat. & undoſum gaudet ſuperaſſe Truentum.
Tum pluuios tenuit lampas Titania piſces.
Se fore uictorem credit. ſed Cæſaris alæ,
Quæ iam dormierant Romæ, ſub rebus opimis.
Cedere coguntur miſerandæ a mœnibus urbis.
Ferreꝗ; ſuppetias uacuo munimine regno.
Nec mora, Cæſarei, forteis animare cohortes,
Præſtantes ad bella Duces. quos emicat inter

Philibertus Princeps Auragie, dux maximus exercitꝰ Cæſarei.

Ductorum princeps, nitidis Philibertus in armis.
Princeps magnanimus. totus cui exercitus uni
Paret, & audaces præbet ſubmiſſus habenas.

Alfonſus Haualꝰ Marchio Vaſti, ſeu hiſtonii. Ferdinandus Gonzagha dux Velitũ maximus.

Haualus Alfonſus, pollens iuuenilibus auſis.
Dux peditum. Fernandus adeſt noua gloria gentis
Gonzaghæ, ueterum bellando uincere famam,
Suetus, & inuictum ſuper æthera tollere nomen,

Alarcon Hiſpanꝰ

Hic & conſilio, & ſenio uenerandus Alorcon.

Ioannes Vruinas Hiſpanus.

Iõannes belli Vruinas inſignibus auſis
Inclytus, & Martis metuendum fulmen Iberi.
Atꝗ; alii, nulli armorum uirtute ſecundi.
Hos bene conſertos; taciti circum agmina uulgi,
Et circum intenti, uerbis compellat amicis.

Verba Principis Aurangie ad ſuos Duces & milites.

❡ Cernitis, armorum ut magno ſurgente furore,
Gallus ad Italiam, noſtras extinguere uires
Venerit. & claros uectare ex hoſte triumphos.
Cæſareo ?iam Parthenopes inuadere regnum

Nititur, & noſtrum delere in ſecula nomen.
Eſte uiri, memores, quod ſæpe ad bella ruentes,
Fudiſtis Celtarum acies, uictricibus armis.
Et quoties Gallus tentauit Cæſaris altas
Armipotentis opes; toties inglorius oras
In patrias rediit, uos & ſpolia ampla refertis.
Victrices Aquilas ſemper geſſiſtis in orbe
Heſperio, & ueſtris ſemper uictoria parta eſt
Auſpiciis, qua tota manus prouincia ueſtras
Italidum timuit, furibundum inſurgite in hoſtem,
Fortiter, & ueteres reparate in prælia laudes.
Et diſcant Galli nunc Cæſaris arma timere.
Non aliena nouo ſubuertere regna furore,
Viuere ſed patriæ contenti limite terræ.
Aſſenſere omnes, Ducis & noua iuſſa capeſſunt.
Mox ductor magnus, ſurgens Philibertus ad arma,
Luſtrat pugnaces acies, miro ordine pugnæ Princeps Auraniæ luſtrat exercitum.
Compoſitas, peditum ſignat ter millia quinque,
Ex germano, italo lectorum, & milite Ibero,
Tercentum equites, tectos grauioribus armis.
Pars quorum maior latio de ſanguine pollet.
Rorarios leuibus fulgenteis undique telis,
Quingentos notat ille ex græca, & gente latina, Rorarii.
Ac etiam hiſpana, quos Martius extulit enſis.
Nec mora collapſæ linquentes mœnia Romæ,

5

Tranſiliunt celeres per Aquini prata, per agros.
Hoſtili ꝑ ardent, pugnando, obſtare furori.
Vrbes interea, populiq;, ac oppida, & arces,
Ad Daunum campos quot ſunt ex amne Truento,
Progreſſo ulterius ſua pandunt hoſtia Gallo.
Deponunt Aquilas, & lilia læta ſequuntur.
Luceria. ¶ Iam prope Luceriam celtę ſub Marte feroci
Conſtiterant. uolucri ſed Cæſaris agmina greſſu
Preueniunt Troiam. facile hæc ſublata fuiſſet
Hoſte repentino. nam nuntia littera plebis
Venerat ad Gallos, firmiſſima pectora teſtans,
Linquere uelle Aquilam, Cabanili prouida uirtus
Ioannes Cabanilius. Ni duo Ioānnis, bellandi feruida ab æſtu
Accelerando alacrem docti ſuperare Camillum
Millia tum peditum, dubiam dixiſſet ad urbem,
Ciuibus ambiguis. quos terruit ante minaci
Cæſar Cabanilius Cæſaris ore potens, probitas interrita cunctis,
Caſibus, & nullo bellorum uicta tumultu.
Digna q; Cæſareos pugnando æquare triumphos.
Felices claro concreti e ſanguine fratres,
Nobiliore animi uirtute ad prælia iuncti.
Hi primum occurſu audaci preſſere furentem
Hoſtilem inſultum, primum obiecere periclis
Se uariis. primiq; alacres fera prælia tentant.
Traianus Cabanilius Comes Montellanum & Troiæ Interea Traianus adit ſua mœnia Troiæ,
Inuictus

Inuictus genitor, procerum noua gloria regni,
Palladias artes ſub imagine doctus utraq;.
Iam trepidis laturus opem, ſpes uiuida, rebus.
Componit ciues, componit & hoſpita tecta,
Cæſareis turmis. bellacis commoda uitæ,
Vt capiant. poſſintq; hoſtem laſſare uagantem.
Didacus Illuſtrem patrem comitatur in armis, Didacus cabaniliꝰ
Mente uigil, dubioq; ardet ſe credere Marti.
Atq; nouos pugnæ ſub pectore concipit æſtus.
Frænando hic populo tantum prudentibus auſis
Polluit, indomitæ daret ut fræna aſpera plæbi,
Iam rutilans ſummo fulgebat ab æthere Titan,
Qum bene compoſitam properans exercitus urbem,
Cæſaris, ingreditur. reſonant hinc inde per auras Cæſareus exercitus intrat Troiam.
Clamores uaſti. uarium mox undiq; murmur
Et fragor armorum exoritur. lux poſtera terris
Fulſerat. hoſtiles cernunt inſtare phalanges,
Explicitis ſignis certamina dira petentes.
Accingunt pugnæ ſe omnes. Serianus in armis Serianꝰ, princeps Melfiæ.
Eminet inuictis. cui ſubdita Melfia paret.
Si ſors æqua foret. Sat formidabilis hoſti.
Tum Celtæ actutum rapidi fera bella repoſcunt.
Inuitantq; Aquilam. mox Cæſaris agmina pauca
Audacem in Gallum inſiliunt. pugnatur utrinq;
Fortiter. & dubiæ tentant præludia pugnæ.

Laus Ferdinandi Gonzaghæ

Hic noua Gonzaghæ uirtus, per tela, per hoſtes,
Fernandi enicuit, ducens in prælia turmas
Ille equitum inſtructas, ut fulgur ab æthere miſſum,
Intrat in hoſtileis acies, premit undiq; Gallos,
Spargens ſantonico maculatam ſanguine terram.
Poſt pugnam tandem ingentem, prope mœnia Troiæ,
Cæſarei rediere Duces, ſua caſtra tenentes.
Hos ſuper aduenit pugnandi exercitus uſu,
Deditus armorum ſtudiis, cui paret Amalphis.

Alfonſus Dux Amalphis.

Alfonſus, clara genitus de gente Senarum,
Primam aciem regit imperio, grauitate uerendum
Inſignes equites miro uenerantur honore.
Hinc ducibus uarii expertis certaminis auſus,
Omnibus una fuit ſententia, ſiſtere caſtris,
Nec ſummam rerum momento exponere paruo,
Sed laſſare animos Gallorum, accendere Marte
Aſſiduo ad uariam pugnam, ſortemq; ferendo,
Vincere, lentandi cunctis placet alea belli.
Interea Galli, potiori ſorte locorum,
Mætantur ſua caſtra, hilares, qua ſpectat ad oram
Eoam, & mediam Troia, hic ingentia uoluunt
Facta Duces, urbeſq; parant ſuperare propinquas,
Tum Celtæ ualido aſſultu, Subitoq; furore,

Galli inuadunt Bouinum. Petrus Extandardus Iuſtus & doctiſſimus.

Bouinum inuadunt, pugnat pro Cæſare Petrus
Fortiter hic Extandardus, quo iuſtior alter

Non fuit in tota Auſonia: uictoria Gallis
Ceſſit. & illuſtrem peperit cumulata triumphum.
Iam capitur Petrus, fatiſq; urgentibus eheu
Cogitur inuitus tranſire ad Celtica caſtra.
Hæc inter Cæſar Cabanilius, undiq; feruens, *Cæſar Cabanilius aggreditur Gallos*
Dux equitum magnus, uiolento percitus æſtu
Pugnandi, aggreditur Gallos certamine diro.
Inſilit in denſos cuneos, ferit enſe ſolutos
Sanguineo: magni tunc Cæſaris inclyta uirtus
Splenduit, aduerſas inter metuenda phalanges.
Sic premit inſtantem Gallum. ſic territat armis
Inuictis, forteis olim uelut Hector Achiuum
Ductores, claroſq; Duces conterruit unus.
Parte alia inſurgit Ioannes, arma ciendo, *Ioannes Cabanilius.*
Frater magnanimus, ſæuo metuendus ab hoſte,
Inferior nulli, quem Martius ardor olympo
Aequauit, ueterumq; dedit ſperare triumphos.
Hoſtibus in mediis, qualis Telamonius Aiax, *Aiax Telamonius*
Fulſit, captiuum ducens ad mœnia Gallum,
Nomine ſub claro. nec te generoſe tacebo
Carſia, antiquum referens ad bella uigorem.
Heu cœlo inuiſe, heu caſu ſublate repente
Indigno. fratres poſtquam ualida arma mouentes
Vidiſti intrepidus, ripæ ulterioris ad amnem.
Aere ſub pluuio qui multo accreuerat imbre.

Quando acreis animo ſtimulos parit æmula uirtus.
Nil fluuium undoſum metuens, cupida undiꝗ laudum
Corda gerens, Celtaſq; manu ſuperare potenti.
Tunc equitem calcare premis, tranſire parantem
Ardentemq; tuas monſtrare ad prælia uires,
Cornipedis lapſu medius mox ſuſtulit amnis.
Pauliſper tecum iam colluctantibus undis,
Ceſſiſti, & ſummo ſtellatus in æthere uiuis,
Cum patre Traiano. properi uiolentia fati,
Quem ſenio feſſum, & dignum cœleſtibus auris,
Traxerat ad ſuperi felicia regna Tonantis.
Apoſtrophe ad Cæſarem. Aſpice, quanta tuæ pro Maieſtatis honore,
Seruandis etiam titulis, Cabanilia, Cæſar,
Gens tulerit. ſat fida ſuum patefecit amorem,
Dum bona fortunæ non tantum, & fluxile regnum,
Sed propriam expoſuit profuſo ſanguine uitam.
Laus Ferdinandi Gonzaghæ Hic iterum Fernande, hoſtem magno impete, Saxuum
Aggrederis. ſternisq; ſolo, pugnare uolentem.
Fundis & aduerſas acies. quæ ad bella ruentem,
Tentantemq; acris te horrenda pericula Martis,
Nil ſufferre ualent. creuit tibi gloria maior.
Et iam uiginti uario in certamine Soles.
Tranſierat, nullo pugnandi turbine feſſus,
Cæſareus miles. cernens qui increſcere Gallo
Quottidie uires. (peditum nam milia quinq;

Huc Baglioniadum proles animoſa parentum,
Duxerat, indomitis pollens Horatius armis, Horatius Baglionius.
Miſſus ab Hetruſca, ſignis nigrantibus, urbe.
Quineriam Vrſinus comitante Valerius acri, Valerius Vrſinus
Venerat ad Gallos, equitum & præſtante caterua.
Diſceſſu tacito decreuit linquere Troiam.
Parthenopeſq; manu defendere mœnia forti.
Mittitur interea Melfim ſub Marte tuendam
Feruenti, lux magna Ducum, Serianus, auitæ Serianus priceps mittitur ad tuẽdã Melfiam.
Nobilitatis honos. pedites ſub præpete curſu
Mille agit intrepidus ductor. ſua mœnia Melfis
Contra Santonicas acies, tutarier auſu
Decreuit ualido, pro Cæſare cuncta ſubire
Marte ſub ardenti, pugnans, diſcrimina uitæ.
¶Nec mora, compoſitis, primos ubi phoſphorus ignes
Exerit, ordinibus, diſcedunt agmina magni Exercitus Cæſareus diſcedit Troia, Neapolim uerſus.
Cæſaris, inſtructæ pulchra ſub imagine pugnæ,
Parthenopen uerſus. quæ nunquam inuadere Gallus
Eſt auſus. poterat certum ſperare triumphum,
A, tergo, audaci cedentes fortiter enſe,
Si foret aggreſſus. uetuerunt fata morantem,
Milite tum ductor ſtipatus Horatius acri
Mittitur, inſignis noua bella accendere, paruo Horati9 & Nauarrus mittantur ad expugnandum Melfim.
Expugnaturus caſuram tempore Melfim.
Iungitur huic etiam Nauarrus, Marte cruento

Sæpius aſſuetus, florentem acquirere palmam.
Princeps Serian9 Hanc princeps Seriane tenes. tecumq; uirorum
Agmina belligerum, ſubitam expectantia pugnam.
Heu fruſtra celſis uos propugnacula muris,
Fruſtra munimen pauidæ diſponitis urbi.
Nauarrus quando ſæuis metuendus in armis,
Irruit, & denſas animans ad bella cohortes,
OppugnaturMelſi. Et ducens tormenta, nouis crepitantia bombis,
Concutit attonitam crebris inſultibus urbem
Fulmineoq; pilis excuſſis undiq; ab ære,
Mœnia diſſiliunt. æquataq; machina terræ,
Celtarum turmis aditum dedit ore patentem
Serianus pugnat fortiter. Ingenti. Serianus adeſt, & ſuſtinet acreis
Gallorum aſſultus, forti ſtipante caterua.
Vndiq; tela ſonant, uaria ſub imagine mortis.
Ingemit humano tellus conſperſa cruore.
Heu nihil irato moliri in prælia cœlo,
Nil decet inuitis ſuperis. nam gallicus ardor
Expugnatur Melſia. Intrat, & obſtantes profuſo ſanguine turmas,
Sternit humi. cædes oritur, per ſtrata uiarum,
Horrida. concuſſi uiolento in turbine ciues
Diſperſim fugiunt. pars quorum conſcia fraudis
Prodidit, occultæ, patriam. galloſq; patenti
Eſt complexa animo. miſerandam diripit urbem
Indomitum uulgus. planctus per templa, per ædes,

Et lamenta ſonant: animiq; per alta gemiſcunt
Atria, confuſæ ſors eſt miſerabilis urbis.
Serianus capitur, ſed non ſine uulnere, pugnax.
Pro Caroli imperio, Fortunam prodigus omnem
Expoſuit, nec ſe manifeſtæ opponere morti,
Extimuit, tanta hoc nituit ſub principe uirtus.
Mittitur ad magnum Odetum, nil pertinet ictus
Fatorum aduerſos, ſemper pro Cæſare conſtans,
Inceptas domini perſtat defendere partes.
Mirantur proceres Gallorum in principe tantum
Rebus in anguſtis, animi ſplendere uigorem.
Ille ſed inſpiciens, poſt tot diſcrimina rerum,
Suppetias nullas, nullumq; a. Cæſare mitti
Auxilium, quo ſe redimat de hoſtilibus armis.
Cogitur ad Gallum tranſire urgentibus aſtris.
¶ Humanum interea lacera ſub imagine uultum
Parthenope referens, uenturi præſcia fati,
Et lachrymis perfuſa genas, ſubit aurea cœli
Limina, & iratum non audet adire Tonantem,
Ardentemq; nouo terras iacularier igne,
Languida ſed Mariæ ſic pulſat uirginis aures.
¶ Virgo, decus cœli, terrarum gloria, uirgo,
Cuius ope infandos ego ſum perſæpe dolores,
Et clades ſolata nouas. tu ſupplice uultu
Exaudi orantem, humanæ ſpes certa ſalutis,

Capitur princeps Serianus.

Conſtantia principis Melfiæ.

Parthenope lacera penetrat cœlū.

Parthenope ſupplicat uirgini Mariæ.

Ad te confugio lachrymans, tua numina poſcens,
Reſpice me longo ſæui contagia morbi
Tempore perpeſſam, fata aſperiora manentem,
Cæſarei ex uulgi aduentu. nam iunctus Ibero,
Germanus uenit innocuam conſumere gentem,
Et ciues ſpoliare meos, templa hoſpita Diuum
Vertere; & inſolitis confundere tecta rapinis.
Eripe me tantis, uirgo intemerata periclis,
Virgo potens. natiq; tui compeſce furorem.
Et mihi, tot mala, tot crudelia funera paſſæ,
Tantorum liceat finem ſpectare laborum.
Talibus orantem ſic temperat inclyta uirgo.

Reſponſio uirginis Mariæ.

¶ Caſibus in tantis, te tanto in turbine rerum,
Suſtineat patiens uirtus. nam infanda tuorum
Crimina, Syderei mouerunt principis iram.
Quæ ciet externas gentes, quæ barbara regna,
Quæq; repentinos belli in tua damna tumultus,
Excitat. ultricem ueterum experiere malorum.

Conſilium ſaluberrimum.

Sed qum tu ſcelerum dignas expendere pœnas
Incipies, lachrymoſa Deum placare memento
Suppliciis uariis. diuina potentia ſanctis
Flectitur obſequiis. animi depone priorem
Nigrantis faciem. tibi mens ſit candida iuſtis
Officiis. nec te diſcordia uiſcera perdant
Immeritam, laceroſq; ſeruet concordia ciues

Fida tuos. dabitur ſic exanclare labores
Horrendos, rerumq; uices perferre latentes.
Concidet hæc Martis tempeſtas tempore paruo.
Ne dubita, oſtendi, Fortunam aduerſa minantem,
Qua poſſis ſuperare, uiam, tu pone timorem.
Nanq; meum cernens tibi ſemper adeſſe fauorem.
Dixerat. at ſuperas mox deuolat illa per auras,
Campanum repetens littus. hic feruere late
Omnia, concuſſos poſtquam ſubtriſtis alumnos
Diffugere, hiſpano metuentes undiq; ab aſtu,
Vidit & innumeras uolitare per æquora Cymbas.
Siccine proclamat ueſtram defenditis urbem?
Siccine procumbit generis noua gloria ueſtri,
Quæ decus egregium bello, quæ illuſtria facta,
Et famam inſignem, terris cumulauit, & alto?
Sic honor, & ſubito longum ſeruata per æuum,
Nobilitas ſub Marte labat? Sic clara parentum
Maieſtas ueterum, peregrinis occidet armis?
O, male conſulti ciues, ſum præda furoris
Barbarici, & ueſtrum ruet alto a culmine nomen.
¶Talia ſuſpirans memorat. ſua mœnia triſtis
Intrat, & obſcuras paucis comitantibus ædes.
Veſteq; ſubſedit lacera. pauor undiq; mœſtam,
Vltriceſq; ſimul circunſtant undiq; curæ.
Talis erat quondam toto fugiente ſenatu

Comparatio. Et patrios linquente lares, perculſa timore
Roma repentino, uolucreis qum Cæſaris alas,
Victrices Aquilas Gallo referentis ab orbe,
Irruere hoſtiles lapſura ad mœnia uidit.
Nec mora, Parthenope proſpectans uertice ſummo,
Cæſareum cernit uulgus properare, ſolutis
Ordinibus, portas urbis intrare patentes,
Philibertus princeps Aurangiæ. Et furtis inhians uariis, Philibertus honoros
Haualus Marchio Vaſti. Princeps ante alios proceres uenit. Haualus heros.
Ferdinandus Gonzagha. Fernandus Gonzagha, potens illuſtribus auſis.
Rorarii ductorem equites quem ad bella ſequuntur.
Ferdinandus Seuerinas, princeps Salerni. Atq; Seuerinas Fernandus, contigit uni
Illi aciem imperio mediam moderarier, armis.
Alfonſus Dux Amalphis Et regere inuictis, piſcoſæ Alfonſus Amalphis
Joannes Vruinas Alarcon. Regnator, uenit Vruinas, & magnus Alarcon.
Hieronimus Moronus. Moronuſq; ſimul, triplex Cabanilia proles.
Fabricius Maramaldus tribunus peditum Italorum. Hic etiam Maramaldus adeſt, Mauortius heros,
Iulius campanus. Inuictus peditum ductor, Campanus Iulus,
Magnipotens armis, ſimul & Venere tribuni,
Tribuni Germanorum & hiſpanorũ peditum. Germaniq; Duces, & quos Hiſpania quondam
Miſerat in latium, properant pernicibus alis
Vrbis ad exhauſtæ tutos intrare receſſus.
Comparatio. Haud ſecus accelerat, nimborum turbine cymba
Territa, uicinæ contingere littora terræ.
Laus Ferdinandi Gonzaghæ. ¶ At Gonzagha, ſui nihil immemor ipſe uigoris,

Dum cupít egregíam pugnando extendere famam,
Emínus hoſtileís acíes, trino ordine, cernens,
Qua prope campeſtres Clanius perfundít Acerras.
Clanius fluuius. Acerræ.
Quarum una Henricí regís. (Hieronymus íllam
Henricus rex Angliæ.
Hieronymus Syluius.
Syluiſus ímperío frænat) fuít, una Valerí
Valerius Vrſinus
Vrſiní. Romane Símon te tertía magnum
Simon Romanus
Ductorem ſequitur. tum equitum ſtipante caterua,
Irruít ín triplicem cuneum Fernandus, habenas
Gonzagha trinas acies hoſtiles inuadit.
Cornípedí laxans. fortí cuí Syluíus ardens
Pectore ſe opponít magno pugna aſpera utrinq;
Pugnat fortiter Gonzaghe cum Syluio.
Feruore exorítur. mícat enſis, & íctibus aer
Perſonat aſſiduís. non poſſe obſiſtere dextræ
Syluíus aduertens Fernandi. Saucíat illi
Vulnerat equus Ferdinandi.
Alípedem furíbundus equum. Gonzagha repente
Deſilít. alteríus dorſo celer ínſidet. hoſtem
Fortiter ínſequitur. díuerſo uulnere cæſos,
Nunc hos, nunc íllos, ſub triſtía tartara mittít.
Síc premít audaces, telís ultrícíbus, hoſtes.
Victoria Ferdinandi Gonzaghæ.
Síc uíctor fugat attonítos ſub Marte potentí,
Vt plures capíat. ſecumq; ad mœnía ducat
Parthenopes. quam, ſic ſpolíís hoſtilibus, íntrat
Plenus, & illuſtres dígnus cumulare triumphos.
Trinam acíem totam, tunc aut duxiſſet ad urbem,
Captíuam, aut ſtygías cæſam miſiſſet ad umbras,
Ní propíus ſtarent Gallí círcum omnía ſigna.

Cœperat ætherium tum phœbus uiſere taurum.
Martis in auſpiciis ſemper nitet itala uirtus.
Deniq; Cæſareus tum exercitus, undiq; feruens,
Vndiq; diſperſus, ſine lege, ſine ordine belli,
Ingreditur miſeram, atq; afflictam inglorius urbem.
Hoſpita tecta ſubit, magno confuſa tumultu.
Exercitus Cæſareus itrat Neapolim
Vtitur imperio, & laxis tranſcurrit habenis.
Sæuit nocturnæ nimis auſa licentia prædæ.
Interea Galli gaudentes Marte ſecundo,
Elatis animis alacres, clangore tubarum
Diſpoſitis celerant alis, clamoribus implent
Galli obſident Neapolim.
Aethera, & attritam dura obſidione prementes,
Parthenopen cingunt, qua regia tecta reſulgent
Vndarum euripis, diuerſo emblemate rerum,
Et uariis ornata modis, de more uetuſto.
Cæſarei muſſant, ſeq; intra mœnia ſeruant.
Expectantq; auidi, rapidum ut Germania mittat
Subſidium, ueniat ſeu claſſis gentis Iberæ,
Suppetias latura ſuis, ſub Marte coactis
Extremo, & nulla ſperantibus arte ſalutem.
Parthenope interno languet confuſa dolore.
Nam paucos numerat proceres pro Cæſare magno.
Quos inter fulgens Antonius, inclytus armis.
Antonius Garlonius Comes Alliſarum.
Inclytus ipſe toga, antiquo Garlonius heros
Stemmate maiorum clarus, ſed clarior amplis
Virtutum

Virtutum meritis, cui fido pectore magnis
Sub titulis ſubſunt Alliſæ, creuit ab annis,
Pallade ſub docta, teneris, Heliconia ſenſit
Numina, Muſarum campos ingreſſus amœnos.
Hic eſt, Cæſareas, qui inuicto pectore, parteis,
Semper tutatus, ſemper ſe opponere fato
Auſus. & innumeris ſe ſe miſcere periclis.
Hic & Traianus, ſpinellæ gloria gentis, — Traianus ſpinell9 dñs Summontii.
Nobilitatis honos latiæ, non ultimus inter
Martigenum cœtus, cui ſtat prouintia muros
Nutanteis urbis reparare, & condere uallum.
Vndiq; Cæſareum cupiens extollere nomen,
Conſtitit intrepidus, ſæui contra omnia belli
Pondera, Traianus nullo eſt ſuperabilis hoſte.
Sangrius hinc ſurgit proauorum magna, ſuorum — Ioannes Sãgrius.
Gloria Ioannes, patrii ſpes certa ſenatus,
Eximiumq; decus; mens illi eſt integra, cunctis
Caſibus, aduerſam conſueta repellere ſortem.
Hic, cum prole ſua, pro Cæſare ferre labores
Infandos, exiliq; omnem tolerare ruinam,
Nil ueritus, uitæq; ſuum præferre pudorem,
Virtutis latiæ hunc merito dixere parentem
Veridici ciues, qui fati uulnera norunt
Alterni, moreſq; uiri coluere uenuſtos.
Pignatellus adeſt hic Annibal, ardua promptus

Annibal Pignatellus.

Pro magni Caroli Imperio diſcrimina rerum,
Et uitæ grauiora pati, uariare laborum
Continuos flexus, patiens ſua damna tueri,
Direptamq; domum germano a milite, & omnes
Fortunæ cenſus infando euertier auſu.

Galeatius Cicinellus.

Inde Cicinellus ſub nobilitate refulgens
Antiqua, angores animi Galeatius omnes
Pertulit, & uarios uario ſub ſole, labores.
Augeat ut Caroli titulos, nomenq; uerendum.
Deniq; magnarum poſt multa pericula rerum,
Horrida letalis paſſus contagia peſtis
Tranſiit ad ſuperas (facile ſic creditur) arces,

Ioannes pater Galeatii

Cum patre Iōanne, integritas cui candida uitæ
Non uanas peperit laudes, nomenq; perenne.

Antonius Galeacii filius.

At patris arma ſequens ualidis Antonius orſis,
Sponte ſua, aſſiduo tentat noua prælia Marte,
Quotidie uario ſe ſe obiectare labori,
Nil timet. & Gallos audaci inuadere ferro.

Ioannes baptiſta Carrafa, uulgo Prior Neapolitanus.

Hic etiam Solymæ non ultima gloria fulget,
Militiæ præclarus eques, præſtantibus armis,
Iōannes. qui Carrafio de ſanguine cretus,
Ornauit latium claris uirtutibus orbem.
Parthenopen nunquam tanto ſub turbine belli,
Deſeruit, conſtans pro Cæſare ſumere forti
Tela manu, & rigidam pugnando ſpernere mortem.

Tolſius hic aderat magna ditione Iacobus.

Gentiliſq; ſimul, patriæ lux uiuida gentis. Iacobus Tolſius. Comes S Valentini Gẽtilis Tolſius

Ambo florenti uirtutum laude decori.
Ambo Parthenopen toto ſub tempore Martis
Sub firma coluere fide, pro Cæſaris armis.
Fulget Honoratus ſtirps Gaietana, potentum
In medio procerum, monſtrans conſtantia bello

Honoratus Dux Traietti.

Pectora, cum nato Fernando, interritus urbem
Incolit obſeſſam, duræq; obſiſtere ſorti

Ferdinandus Honorati filius.

Non timet, & magnum Caroli defendere nomen.
Peſtifero tandem correptus uiſcera morbo.
Soluitur, & patrias cœli reuolauit ad oras.
Non Aquiuiuus abeſt Beliſarius, optima pandens
Virtutis monimenta ſuæ. fidiſſima magni

Beliſarius Aquiuiuus Dux Neritinorum.

Corda gerens Caroli titulis. diſcedere nunquam
Parthenope uoluit, tanta eſt conſtantia fortis
Et uirtus animi, nullo ſub tempore pallens.
Iõannes, proles tam claro digna parente,

Ioannes Bernardinus Beliſarii filius.

Vt pote, qui nequeat diuelli a. Cæſaris armis,
Fortis & intrepidus gaudet tenuiſſe Tarentum.
Hoſtileiſq; acies Marte inuaſiſſe cruento.
Te quoq; muſarum cognomen, & arma gerentem
Muſetta, eloquii non gloria parua latini,

Laus Ioannis Antonii Muſettæ.

Integer, æquarum iudex celeberrime legum,
Commemorem. tua nam grauitas mihi cognita morum,

Ignea uis animi per aperta pericula uitæ,
Sorte laborantis dubia, pro Cæſare magno,
Fortis & æquato pollens in pectore uirtus,
Et patriam, & Carolum fluitantes ſæpe procellis
Aſſiduis releuat. probitas tua candida uiuet,
Camillus Muſetta
Integritaſq; animi inuicti, cum fratre Camillo.
Qui ſponte ardentem Martem, atq; ardentia bella,
Inſignis ſubiit iuuenis. nil territus hoſtem
Sæpius aggreditur Gallum. nil uulnera, & atram.
Pertimuit mortem. fama eſt præclara Camilli.
Hic Carboniadum ſtirps alta, & clara parentum,
Iacobus & Hieronymus fratres carbonii.
Eſt nimium celebranda, Hieronymus, atq; Iacobus.
Ille nouem primis Muſas complexus ab annis,
Ingens promeruit nomen. hic laudibus æquans
Heroas ueteres, latio præfulſit in orbe.
Ambo, Cæſaridum titubantia ſigna ſequentes,
Conſtantes tenuere animos. ne Marte labantem,
Deſererent patriam externo. ſuccumbere malunt
Peſtifero morbo, quam linquere Cæſaris arma.
Partem urbis Maramaldus habet. quæ tendit ad oram
Laudes ueræ Fabritii Maramaldi, tribuni peditum Italorum.
Occiduam, & mediam, Dux prudentiſſimus, omni
Parte uigil. pedites italos concordibus armis,
Imperio regit. at Gallos dum accendere ſæuam
Incipit ad pugnam. cernas uelut alterum Achillem.
Achilles.
Iliacas acies ualido enſe, & Marte prementem.

Irruere in denſos, telis uictricibus, hoſtes.
Et noua fulmineam miſcere ad prælia dextram.
Ac palmam illuſtri referentem Marte uirentem,
Perpetuumq; decus. o, uera, & magna latinæ
Gloria militiæ, patriæ ſpes certa labantis,
Maramalde potens, nulli ceſſure priorum.
Nam tua Cæſaris titulis fidiſſima uirtus,
Emicat, Italiæ cunctas celebrata; per urbes.
Et licet inuidiæ ſtimulis agitata parumper
Crimine ſub falſo fuerit. (mens liuida claram
Virtutem inſequitur.) manet hæc interrita ſemper
Caſibus in cunctis. nulloq; mouetur ab ictu
Fortunæ, uarias docta exuperare procellas
Fatorum. medio ceu ſaxa ſonantia ponto
Aequoris excutiunt æſtus, undaſq; frementes.
Illa ubi florentem claris uirtutibus unum
Vidit. & inſignes ſperare ex hoſte triumphos.
Inſimulat falſa te proditione, doloſis
Fraudibus inſontis flagrans maculare nitentem
Inuictiq; Ducis, uicturam in ſecula, famam.
Quo magis immeritum te iam ſubliuidus ardor
Deprimere optabat, tanto altius ire per omneis
Ductorem cœtus meruiſti, & ſcandere ſedem
Heroum. creuit tibi tanto in turbine uirtus.
Creuit honor. terit inuidiam tua gloria florens.

Ioannes baptiſta Maramaldus. Hoc quoq; Ioãnnes frater molimine belli,
Floruit, illuſtrem tollens ſuper æthera famam,
Armorum in ſtudiis, nam dum fera prælia tentat,
Pro Caroli inuicti titulis, & nomine claro,
Magnanimus Iuuenis, dubiæ ſe exponere morti,
Audet, & optatam bellando temnere uitam.
Romulidum generoſa Ducum ueſtigia ſectans,
Pro patria, & domino profundere ſanguinis undas,
Optat, & æternum moriendo extendere nomen.

Loiſius Accius pacius. Hic etiam memoranda, Acci generoſa Loiſi,
Conſueta egregium uario in certamine uirtus,
Accumulare decus, quem ſæpius arma mouentem,
Agmina Gallorum ſenſere & ſæpius unum
Expauere uirum, morum induit ille uenuſtam,
Et pulchram nimium faciem, gratiſſimus inter
Nobilium cœtus, nulli probitate ſecundus.

Hic Poeta meminit de Nobilibus qui uulgo appellantur li continui. Sunt quoq; permulti, generis quos ſtemmata clari,
Quos flammat Mauortis amor. qui pectore fido
Continuum Carolo obſequium per feruida præſtant
Prælia, perq; feri diuerſa pericula Martis.
Signifer hos ornat claris Antonius ortus

Pyrrhus Antonius Carrafa comes Policaſtri. Pyrrhus auis. atauiſq; potens. quos ſanguine natos
Carrafio, uirtutis honos, ad Sydera uexit.
Patritios taceo plures. qui audacibus armis,
Conſtantes ſteterunt, pro magni Cæſaris umbra.

Laudes Pompeii Columnæ, Cardinalis ampliſſimi.

Hic memorare tuas Pompei carmine laudes
Sublimi liceat. tua nam prudentia, & artes
Conſilium, uigor ingenii, mens territa nullis
Caſibus, & conſtans aduerſo in turbine uirtus,
Suſtinuit Caroli imperium, iam ſæpius auſa
Cæſareos titulos augere potentibus armis.
Tu poſtquam hoſtileis noſti, uigil undiq; turmas,
Tendere Caietam uerſus, tum protinus illam,
Parthenope excedens, ſpatioſa per æquora, cymba
Subuectus celeri, ingrederis. munimen in urbe
Diſponis uarium. per mille pericula rerum,
Incolumem ſeruas. tua nam præſentia Gallos
Territat, & ſterili facit hos langueſcere motu.
Et quoties ſubitum depoſcunt tempora Martem.
Armatas toties producis in aſpera turmas
Prælia. fulmineum uibrantem fortiter enſem,
Te timet hoſtilis cuneus. ſufferre potentem
Nil ualet ille manum Pompeii, ad bella ruentis.
Conſilio, atq; armis iuuiſti Cæſaris amplum
Imperium. tutumq; omni facis hoſte repulſo.

Deſcribitur bellũ nauale.

FORTE PER AEQVOREOS
parua cum claſſe, philippus

Philippus Doria.

Doria, diſcurrit tractus, octo ille triremes

Inarime.

Qua patet Inarime ducit, quas milite forti
Munierat: maris imperium capit undiq; lætus,

Surrentum.

Surrentum capit. & Campano in littore quot ſunt
Oppida! tam ualidis aſpirant numina cœptis.

Vgo Muncadus.

Nam Muncadus Vgo, regni cui cura regendi

Haualus marchio Vaſti.

Parthenopes, Haualuſq; ferox, pugnare per æquor
Inſuetus, cupiduſq; nouum reperire triumphum,
Iam peditum curam cauto ſub Marte reliquit,
Nil uentura mala inſpiciens, comitante columna

Aſcanius Colũna

Aſcanio, & uariis etiam, quos traxit inanis
Gloria nobilibus, ſenas ad bella triremes
Expediunt, lemboſq; agiles, geminaſq; biremes.
Diuerſis armis, diuerſo & milite complent.
His mediis credunt hoſtem ſuperare minacem.
Liberior ponti quo alimenta uehentibus eſſet.
Curſus. & afflueret multarum copia rerum.

malum omen.

Nec mora, conſcendunt claſſem ſub ſydere nigro.

Capreæ inſula

Iam ſuperant Capreas. cernunt ſpumantibus undis,

Prænuſſum promontorium

Ad freta prænuſſi hoſtileis uolitare triremes,
Vndiq; militibus plenas. tum clamor ad auras

Exoritur. ſtridor lituum, clangorq; tubarum,
Hinc inde auditur. gemit aer, pallet & axe
In medio Titan, fatum miſeratus acerbum
Cæſaridum. ruit ante alios ad bella Philippus, Confligunt
Cum rate pugnaci. forti cui opponitur Vgo
Pectore. iam tormenta nouos ructantia bombos,
Fulmineas ardente pilas iaculantur ab ære.
Omnes ſe accingunt ad uulnera certa triremes.
Atq; omnes ineunt pugnam. certatur, utrinq; Pugna aſperrima
Fortiter. hic ferro ſtrages miſeranda cruento
Naſcitur. & lato rubuerunt æquora tractu,
Ex cæde aſſidua. pauidæ Nereides omnes,
Infandum, ſtupuere, rubro uelamine tectæ
Sanguinis humani. miſſus globus igneus ære
Flammiuomo, fortis bellaci e puppe Philippi.
Diſrupit malum aduerſæ, puppimq; triremis.
Quæ ſimul Vgonē, atq; Haualum, Aſcaniūq; uehebat,
Ecce duæ inſiliunt ad prælia dura triremes,
Impete feruenti. quas protenus ante Philippus Philippus Doria.
Miſerat. ut latera impeterent hoſtilia iunctæ.
Anxius Vgo timet. fato timet undiq; miles
Cæſareus propior. pugnatur comminus enſe
Sanguineo. pleriq; cadunt certamine tanto.
Plures abſumpſit pila flammea. ſuſtulit ardens Interit Vgo.
Vgonem miſerum, & patrias demiſit ad umbras.

Cæſar Ferramuſca pugnando occumbit.

Ferramuſca cadit Cæſar. quem pallida nunquam
Pugnantem ſæuæ terret præſentia mortis
Petrus Cardonius perimitur.
Saucius occubuit Petrus Cardonius ictu
Letali capitis. pluresq; in tartara miſſi.
Succumbunt tandem ſolitæ ſuperare, cohortes
Victoria Philippi Doriæ.
Cæſareæ. ceſſit uictoria parta Philippo.
Turbine de tanto geminæ euaſere triremes,
Vtraq; Parthenopen rediit, fidiſſima teſtis
Cæſaridum cladis. quos fata obſcura trahebant
Aſcanius capitur.
Ad cædem. capit Aſcanium, proceresq; feroces
Philippus Doria.
Florenti palmæ ſublimis honore, Philippus,
Laus Andreæ Do.
Doria ab Andræa genus, inſuperabile bello,
Qui latium impleuit meritis ingentibus orbem.
Naualiſq; tulit pugnæ, ſuper æthera, famam.
Bis geminas capit ille rates, duplicemq; biremem.
Aſt Haualus, quem multa hominem prudentia mouit.
Vt claſſe impeteret, telis iuuenilibus, hoſtem.
Ac etiam Imparibus, ſuſpirat, & angitur unus,
Capitur Haualus. Marchio Vaſti.
Turbidus exclamat. nunc nunc ſuccurrite ueſtro
Ductori, pedites. capitur ſurgente furore
Militis aduerſi. Sic ſic Fortuna triumphat
De Iuuene inſigni. quo non inſignior alter.
His Galli elati rebus feliciter actis
Ignibus aſſiduis, noctuq; ardentibus ampla
Gaudia declarant facibus. clamoribus æther

Inſonat. & plauſu ingenti cœlum omne remugit.
Cæſarei lugent, & conſternata parumper
Illorum uis magna fuit. prope littora quando
Triginta aſpiciunt, paſſim aduentare triremes.
Gallorum & Venetum, terris clauduntur, & undis
Obſeſſi, incipiunt nullam ſperare ſalutem.
Et ſe ſe imperio Fortunæ, atq; omnia credunt.
Copia frumenti rara eſt. penuria uini
Germanos cruciat. mœſtoſq; ad prælia reddit.
Poſt Hanalum captum pedites moderatur Iberos,
Vruinas. frænatq; omni grauitate uerendus. Ioannes Vruinas regit peditatum hiſpanum.
Et certo regit arbitrio. dominator Amalphis
Martini excelſam tutatur fortiter arcem. Alfonſus Dux Amalphis.
¶ Hic memorare meos, ſubtriſti carmine, caſus. Hic Poeta narrat ſuos caſus miſerri mos.
Incipiam. & duros animi renouare dolores.
Nanq; ego, quo tanto bellorum a turbine muſas
Eriperem. propere ſecedo, iunctus honoro,
Doctiloquoq; Duci. cui nobilis Hadria paret. Dux Hadrienſiũ
Mœnia Parthenopes linquentes ſydere tetro,
Egredimur. placet in campum prodire patentem.
Et tentare noui ſpiramina dulcia cœli.
Antoni eſt uicina ædes, ſuffulta furenti Templum. S. Antonii.
Milite. non fidis defendunt Vaſcones armis.
Omnia prædantur, bellandi lege ſoluti, Sugillat mores Vaſconum.
Inſueti ſeruare fidem. temerare uiantes

Perſolitì, ſpoliare bonos, ſociare malorum
Imperia, & nullam uiuendi agnoſcere normam.
Nos primo aſſultu inuadunt, turbantq; pauentes
Quam bene promiſſis infidi, heu impete ſæuo
Omnia diripiunt, ueſteſq;, argentea uaſa,
Hic noſtri ſudoris opes, plectra aurea uerſum
Quinquaginta atrox noſtrorum ſuſtulit hoſtis:
Millia, quæ Mariam, quæ concinuere Tonantem,
Poeta amiſit quinquaginta millia uerſuum.
Carmine grandiſono, multôrumq; agmina Diuum.
Treis & Alexiados libros, quibus ultima Querni
Lima fuit, pereunt terquinq; uolumina, matris
Quæ Chriſti referunt laudes, numeriſq; notata
Imparibus, ueros Mariæ prodentia cultus.
Barbitos innumeros periit ſeruata per annos.
Biſſeni pereunt libri, quibus horrida bella,
Italiam multos quæ uexauere per annos,
Carolus rex Gallorum.
Ex Caroli aduentu, Sirenum ad mœnia, regis,
Andino cecini cantu, plectroq; ſuperbo.
Heu uigiles curæ, heu longi periere labores.
Prædonum euaſi e manibus, ſeruauit Apollo
Innocuum uatem, redeuntem ad mœnia flendæ.
Parthenopes, grauiore premit ſors impia caſu,
Nam miſeri æternus calor implicat oſſa poetæ.
Aeſtuat infelix æſtiuo tempore Quernus.
¶ Ordiar unde tuas, æquato examine, laudes.

Alfonſe, Hiſpanæ non ultima gloria terræ!
Nanq; Valentino quondam Duce fortibus actis,
Iam tua præfulſit uirtus, maioraq; pandit
Sub Duce Conſaluo, patrii monimenta uigoris.
Quæ uatiī docto cecinerunt carmine uates.
Nunc ea contingam breuiter, quæ inſignibus auſis
Seruandi ſtudio Caietam, territa nullo,
Vis animi generoſa tui, Mauorte, peregit.
Illam ſub tanta tenuit probitate gubernans,
Atq; ſuos pedites tanta compeſcuit arte,
Vt neq; furta die fuerint uiolenta per urbem.
Nec noctu taciturna. Ducis uigil undiq; uirtus
Seruauit cunctos prædæ a diſcrimine ciues.
Addo illud digno, memorandum in ſecula, cantu.
Quod plures naues, diuerſis rebus onuſtas,
Frumento in primis, quæ circum littora forte
Appulerant, prudens capit, exoneratq; repente
Frumentum optatum: non ut noua præda putetur.
Nam iuſti pretiī perſoluit comiter aurum.
Inde illas, nullo uiolatas turbine ferri,
Pacato lætas animo dimiſit in altum.
Dehinc aſſeruatum frumentum uenditur urbi.
Illius expretio ſed quantum colligit aurum
Ductor, Cæſareis Sirenum ad mœnia miſit.
Aureolum memorant hæc quadraginta fuiſſe

Narrantur laudes Alfonſi roſe, ductoris hiſpani, uulgo Cōmēdatarius Roſa dicitur.

Conſaluus hiſpanus Dux.

Mira prouidentia Alfonſi.

Alfonſus capit naues frumēto onuſtas.

Alfōſus miſit ſuppetias pecuniarū ad Cæſareos.

Millia. Cæſareas quæ firmauere cohortes.
Et quæ Parthenopen longo eripuere periclo.
Florentina dehinc, percurrens æquora, puppis,
Caietæ ſubiit portum. qua copia rerum
Multarum uehitur. Dux aduentaſſe carinam
Vidit ut hoſtilem, furibundo percitus enſe.
Inſilit. & totam exhaurit. prædamq; recentem

Mira continentia Alfonſi.

Militibus diuiſit ouans. nihil ipſe recepit.
Hic poſt longæui diuerſa pericula belli,

Alfonſus ſuperatis hoſtibus ſoluit obſidionem Caietæ.

Soluit ab obſidio, telis uictricibus, urbem.
Diſrupitq; hoſtes, duro ſub Marte repulſos.
Hic eſt Alfonſus, qui millia multa, priori
In bello, peditum, ſibi iam commiſſa, Lanoi
Imperio, tanta duxit prudentia, & aſtu,
Oppida per ueſtina, nouo gaudentia motu,
Vt nulla infandis uiolarint tecta rapinis.

Raphael Vitalis Balearicus.

Hic merito celebrandus erit ſub laudibus æquis,
Facundo pollens Balearicus ore Raphael,
Aonidum fautor, nec gloria parua ſororum.
Non illum ſubiti tempeſtas feruida belli,
Non furor armorum, diuerſa e gente ruentum,
Non Galli uiolenta manus, non Martius horror
Terruit. intrepidus potuit ſuperare procellas
Santonicas, magni Caroli uenerabile nomen,
Signaq; florenti gaudentia Marte ſecutus.
Vna fides, atq; unus honos, atq; una Parentum

Nobilitas, tanti ſub mole, & turbine belli, hunc
Reddidit inuictum. generis decora alta futuri.
Nec te prætereo Paridum generoſa parentum
Vincenti, ſoboles. magni ſpes certa Senatus,
Inſubriæ, legum non ultima fama ſacrarum.
Tu quoq; fatalis per ſæua pericula belli,
Parthenopen mira patientia, & arte colendo,
Et Caroli inuicto ſeruans ſub pectore uultum,
Iam fidei uictura tuæ monimenta dediſti.

Vincentius cognomento de paride Venaphranus, ſenator Mediolani.

¶Diuiſi proceres regni. pars altera Gallum,
Altera Cæſareum, uarias diſperſa per urbes,
Proſequitur nomen, nullis ceſſura periclis,
Sipontum partim, partim ſubiere Tarentum,
Annibal hic Campanus erat, cum prole feroci,
Illuſtri, & clara, Caroli fidiſſimus armis,
Atq; Seuerinas Antonius undiq; Petrus,
Inclytus, & gentis decus immortale latinæ.
Hic ille eſt princeps, animo qui ad prælia forti,
Irruit inuictus, gaudens proſternere ſæuos
Hoſtes imperii, & tutum ſeruare Tarentum
Gallorum a cunctis, dum feruent arma, procellis.
Florentem meruit non uno ex hoſte triumphum,
Hic Heros Iouiæ, felix Aquiuiua propago.
Inſignis titulis, bello, & præſtantibus auſis.
Atq; alii proceres, quos Cæſaris aura coegit.

Diuiſio procerū.

AnnibalCāpanus

Petrus Antonius Seuerinas priceps B.ſiniani.

Laus uera Principis Biſiniani

Comes Iouiæ

Alfonſus Caſtraiota ſeruat Gallipolim.

Partim Gallipolim. quam Caſtraiota potenti
Suſtinet Alfonſus dextra. pro Cæſare promptus
Fortunæ tolerare uices ſub pectore forti.
Cætera pars regni, ſubito perterrita Marte,

Idruntum. Caieta. Arces Brunduſii.

Idruntum præter, Caietam, Brunduſii arces,
Atq; Pithecuſas, Gallorum ſigna ſecuta eſt.

Laus Pyrrhi loiſi Farneſii.

Sipontum Pyrrhus, proles Farneſia, Martis
Gloria Romani, & decus indelebile, clarus
Dux equitum, inſignis titulis, peditumq; tribunus,
Fortis, & inuictus, Veneto defendit ab hoſte

Guidus Ferramuſca comes meniaui

Cum Guido illuſtri, decorat quem gloria belli.
❡ Et licet obſideant Galli, terraq;, mariq;,
Vndiq; Parthenopen, rerum & penuria gliſcat.
Augeſcatq; hominum per corpora lurida tabes.

Laus Ferdinandi Gonzaghæ

Non dormit Gonzagha tamen, ſed in agmina fortes
Rorarios ducens, per amica ſilentia noctis,
Peruigili ſenſu loca circuit omnia prudens,
Hoſtibus inuitis, cumulata alimenta reportans
Obſeſſis. perſæpe alios, qui plurima Gallis
Nutrimenta dabant, intercipit impete tanto.
Vt prædura fames ſitientes torqueat hoſtes.

Cumulantur laudes Ferdinandi Honzaghæ

Addo illud, cunctis ſemper memorabile ſeclis,
Quod dum Campanas flammat ſol feruidus oras,
Proſilit Auerſæ in Campum Fernandus apertum,
Cæſareis laturus opem, pugnantibus acri

Marte, per aduerſas acies. tum prodiit extra
Agmen Scotus agens equitum grauioribus armis
Tectorum & leuibus. pedites ſecum undiq; ducit,
Fulmineis liquidum turbantes æthera Sclopis.
Occurrit Gonzagha hoſti, uelut unica Martis.
Gloria Mantoi, ſolito feruentius inſtat. Pugnatur acriter.
Pugnat, & horrendæ ſpernentem uulnera mortis,
Miſcet ubiq; manum. miſerandæ ſtragis aceruos
Auget in hoſtili cæde. hic pugna horrida mentes Pugna aſpera.
Implicat indomitas, crebros mora nulla per ictus,
Sed ferri laſſata acies miſerabile prebet
Spectaclum. Fernande nouum tibi palma triumphum.
Aeternamq; parit, claro ſub ſydere, famam.
Quandoquidem aduerſas, inuicto robore, turmas Victoria Ferdinādi Gonzaghæ.
Diſrumpis. partim fundis per gramina, partim
(O iucunda dies,) captiuas ducis ad urbem.
Martis in auſpiciis ſemper nitet itala uirtus.
Nec Philiberte, tuæ uiuax ſolertia mentis. Laus Philiberti Pricipis Auregiæ
Defuit. in cunctis tu mœnia diſpicis horis,
Nocte dieq; uigil. tu acies hinc inde uagantes,
Ordine componis, triſtes ſolaris, & altam
Spem tribuis. certamq; facis ſperare ſalutem.
Plus ſolito audentes frænas. ſub legibus æquas.
Magnanimiq; Ducis tu tandem munere functus,
Attollis fragiles mentes. tecumq; fidelis

Laus Bernardini Martirani.

Martiranus adeſt, lateri coniunctus honoro,
Et capiens ſecreta animi, noua gloria linguæ
Romanæ, Aonidum cultor, comes ire per omneis
Nil timet armorum caſus, uarioſq; tumultus.
Interdum feſſas reuocare ad carmina muſas,
Geſtit, & altiſono noua fingere prælia uerſu.

Laus Ferdinandi Seuerinatis principis Salerni.

Inde Seuerinas, claro ſpectabilis ore,
Fernandus, uigiles, per bella horrentia, curas,
Explicat, & fortem tentare ad prælia Martem,
Gaudet, & hoſtileis ad pugnam impellere dextras.
Intrepidus ſtetit horriferæ in diſcrimine mortis
Magnanimus uario ductor. quem tela mouentem
Horrida, Gallorum nil ſuſtinuere cohortes.
Germani interea pedites, qui ſigna ſequuntur
Celtica belligeri, duo bis uexilla gerentes,
Secedunt paulum. uicina per oppida quærunt,
Quos ualeant cumulos in caſtra referre ciborum.
Hos Gonzagha potens inuadit. & impetit haſta
Aerata. hic utrinq; furit Mauortius ardor.
Ictibus aſſiduis tum ſtridulus inſonat aer.

Victoria Ferdinandi Gonzaghæ.

Vicit Gonzaghæ generoſa potentia dextræ.
Diffugiunt uicti Germani. uictor in armis
Fernandus tria ſigna capit. quæ clarus honore
Militiæ latiæ, obſeſſam referebat ad urbem
Martis in auſpiciis. ſemper nitet itala uirtus.

Fluctibus in tantis belli, tantiſq; procellis,
Inuictus ſtetit, imperii fidiſſimus armis,
Telluris Siculæ columen Hieronymus, urbem
Hic Franciſciadum non gloria parua parentum,
Sirenum obſeſſam coluit, cum coniuge magna,
Atq; Auguſtino nato, florentibus annis,
Florente, & ſtudiis maturi inſignibus æui.
Parthenopes magni queis ſumma eſt credita regni,
Cunctarum in populis librando examine rerum,
Conſilio ualido, ingeniiq; potentibus auxit
Viribus, imperium Caroli, parui omnia fecit,
Fortunæ in uario euentu, diſcrimina mortis.

Hieronymus Panhormitanus, cognomento de Francisco locum tenés ſummariæ, in regno Neapolitano, cum Auguſtino filio.
Laudatur merito Auguſtinus Hieronymi filius.

Hic Morone tuæ ſurgunt ſuper æthera laudes.
Nam tua tis animi, per longa pericula Martis
Cognita pro Caroli titulis, prudentia, uirtus,
Et uigor eloquii, uigor ingeniiq; profundi,
Cæſareas acies ſuſtentat, & omnia certo
Ordine diſponens, obſeſſis undiq; turmis,
Viuendi parat ille modum, parat optima uitæ
Commoda, continuis præbens alimenta diebus.

Laudes Hieronymi Moroni.

O felix nimium cunctos Epicure per annos
Antoni, Aonii decus immortale ſenatus,
O Marſi lux magna ſoli, quem candida uirtus,
Firma fides Caroli imperio, prudentia uiuax,
Et conſtans Fortuna, animo conſiſtere forti,

Antonius Epicurus Marſus.

Intrepidum fecit, tanto in diſcrimine belli.
Rotigenum fratrum ueſtigia fida ſequentem.

Fratres cognomẽto rote.

Qui ſemper uario diuerſi in turbine Martis,
Cæſareas partes tutati fortibus armis,

Io. Baptiſta rota fortiter pugnãdo ↄtra Gallos ad Rauennã occubuit. Io. Franciſcus Rota in agro Neapolitano pugnãs cõtra Gallos pila flãmea abſũptus eſt.

Nil timuere atræ manifeſta pericula mortis.
Baptiſtam in pugna rapuerunt arma Rauennæ.
Iõannes frater cecidit prope mœnia magnæ
Parthenopes. contra, quem fortiter arma mouentem
Gallorum cuneos, heu glans ignita patenti
Oppoſuit fato. quem dum celer undiq; frater

Alfonſus frater illum ſeruare niſus capitur.

Alfonſus ſeruare cupit. mox deſilit alto
Nil remoratus, equo. pugnaci ſe obiicit hoſti
Solus, & ardenti bellorum in turbine perſtat.
Dumq; per aduerſas nil pertimet ire phalanges,
Præda fit hoſtibus, magno poſt ære redemptus.

Ferdinãdus Rota

Non tamen alterius. caſus Fernandus in omneis
Bellorum inuictus, per multa incommoda rerum,
Conſtitit in patria obſeſſa, præſtantibus auſis.
Rotigenum uiuet ſub Cæſare gloria fratrum.

Laurentius Ceres

Ecce iterum Fernande tuæ uis maxima mentis
Enituit. nam dum Ceres Laurentius alto
Deſilit in terram. uenit ingens obuia turba
Celtarum. quam tu, ducens in feruida cunctos

Ferdinãdus Gonzaghæ aggredit̃ hoſtes.

Bella Ferentarios, pugnandi concitus æſtu,
Aggrederis. terreſq; hoſtem, per ſaua ruentem

Arma, repentino miſcentur cuncta tumultu
Agmina Gallorum. nam Vruinas fortibus auſis
Inſilit in pugnam, peditum ſociante caterua
Hiſpana. ualidaq; manu fera prælia miſcet,
Santonicum reprimens audaci Marte furorem.
Intrepidus Gonzagha, ſuas dum concitat alas
Diſrumpit Celtarum acies. ſplendoribus enſes
Scintillant tremulis. ſequitur uictoria magnum
Fernandum. capitur uictus Candelius, Vgo.
Ambo ductores clari ducuntur ad urbem.
Amborum ſpoliis lætus Gonzagha triumphat.
Martis in auſpiciis. ſemper nitet itala uirtus.
Inde Caracciolus Fabius de mœnibus urbis,
Prodiit in pugnam. uibrat crudeliter enſem
Sanguineum. ſpernit tetram ſine uulnere mortem.
Dum premit hoſtiles furibundo Marte phalanges.
Ha dolor, ha lachrymæ, flagranti concidit ictus,
Fulmineaq; pila, & ſuperas transfertur ad oras.
Hoc quoq; Ferrilli uirtus generoſa Iacobi
Emicuit bello, Caroli fidiſſima ſemper
Cæſaris imperio, nullo concuſſa tumultu
Santonici Martis, nulloq; in turbine labens.
Ille ubi uicinas urbes, atq; oppida Galli
Caſtra ſequi, clarumq; Aquilæ ſeponere nomen.
Ac ciues titubare ſuos, animumq; rebellem

Ioannes Vruinas

Victoria Ferdinã di Gonzaghæ

Candelius & Vgo ductores clari capiuntur.

Fabius Caracciolus pugnando occubuit.

Iacobus Ferrillus Comes Muri.

Pandere, & atroces domino iam oſtendere uultus.
Ne foret infidus Carolo, pertranſiit atros
Syluarum anfractus, poſt multa pericula rerum,
Coniuge cum magna, paſſuſq; incomoda uitæ
Plurima, Muranam tandem peruenit ad arcem.
Quam tenet intrepidus, ſperans uictricia magni
Cæſaris arma fore, & Galli ceſſare furorem.
Aſt ubi Celtarum uanos cecidiſſe labores
Audiit, & belli palmam ceſſiſſe uirentem,
Cæſareis, uictricem aquilam per mœnia primus
Explicat, Imperii fidiſſimus arma ſecutus.
Huius ab impulſu, Caroli ſubiere propinquæ
Vrbes imperium, & Ferrilli iuſſa capeſſunt.
Hector pignatel- lus Gubernator Siciliæ. Hæc inter trepidis Hector, ſpes uiuida, rebus,
Qui regit imperio ſiculos, quem prodidit alto
Sanguine Pignatella domus prudentibus auſis
In Calabrum mittit populos, genteſq; rebelles,
Camillus Hectoris filius. Inſignem natum bellandi ardore Camillum,
Addidit huic etiam peditum duo millia prudens,
Tercentumq; equites, tectos radiantibus armis,
Inſilit actutum flagranti mente Camillus,
Et Calabras intrat, magnis feruoribus, oras,
Iacobus pignatel lus Iungitur huic clarus cognata e gente Iacobus,
Fabritius Iacobi filius. Fabritiuſq; ſimul, mox brutia rura peragrant,
Marte ſub audaci, multas ad Cæſaris urbes

Imperium uertunt, conſternant ſigna ferentes
Gallica, & inuictum monſtrant ad prælia pectus.
Surgit in aduerſum Ductoris magna Simonis, Simon Romanus
Ac denſata acies. paribus concurritur armis.
Pugna fit. & totis certatur uiribus. eheu Pugnatur utrinq;
Labuntur uarii humano de ſanguine riui.
Sanguineo ante alios crudeliter enſe Camillus
Perfurit. & medios fertur metuendus in hoſtes.
Aduerſos frangit cuneos. cogitq; Simonem Simon ſuperatur.
Vertere terga. manet uirtus inuicta Camilli.
Turbinibus tantis præfulſit, clarus in armis. Ferdinandus Biſbalius.
Clarus & ipſe toga, Biſbalius, aſpera tentans
Prælia, Fernandus. pedites nam mille regebat
In Calabrum terris. uariæ certamina pugnæ
Magnanimus ſubiit ductor. præconia laudum
Queis meruit. tandem Siculas transfertur ad oras.
Biſcentum hiſpanos pedites unde ille repente
In Calabros duxit. quo Catanzaria fortis Catanzarium oppidum.
Mœnia tutetur. poſt, iungitur ipſe Camillo. Camillus comes Burrelli.
Quem ſequitur fido, per bella horrentia, paſſu.
Præſertim quando ceciderunt uicta Simonis
Agmina. Gonſalem comitatus ad omnia Petrum Petrus Gōſalis pro rex Calabriæ.
Munera bellorum. ſæuos metuenda per hoſtes
Sat tua pugnæ omnes uidit præſentia caſus
Fernande, & duram potuit deuincere ſortem.

Hinc tibi Cæſarei, tribuerunt oppida bina

Monforium Monardum, oppida,

Monforſum, largaq; potens ditione Monardum,
Nunc quibus imperitas, Carolo ſub Cæſare felix,
Cæſaridæ, quamuis clauſi teneantur in urbe,

Laus Ioannis Vruinæ.

Non deeſt Vruinas tentare potentibus auſis,
Diuerſos bellorum aditus, irrumpere in hoſtem,
Tempore ſub uario, uariumq; immittere Gallis,
Aſſiduumq; metum, & latis diffundere campis,
Hiſpanas acies, hoſtili ſanguine terram
Spargere, & optatam pugnando acquirere palmam.
¶ Hic lachrymans geminare nouos in funere planctus
Incipiam Gumperte tuo, tu ſplendor & ingens

Poeta deflet mortem Gũperti Marchionis Brandeburgenſis.

Gloria militiæ germanę, inſignibus armis,
Brandeburgenſum tu ſtirps generoſa parentum,
Aequaſti ueterum laudes, pro Cæſare ſemper
Auſus in ardentes bellorum intrare tumultus,
Et fortem miſcere manum, tu uulnera ſæui
Nil ueritus fati, te te obiectare periclis,
Aſſueſti innumeris, tandem poſt inclyta facta,
Poſt Martis uarios uſus, inuiſus ab aſtris,
Terrigenis populis, raptus ſub flore iuuentæ,
Ad cœlum reuolas, quum ſol tenet humida Cancri
Brachia littorei, primoq; in limine libræ
Luna meat, Baptiſta tuum reuerentius ortum
Quum celebrant populi, Gumperti fama per omneis
Europæ

Europæ gentes merito cantata reſulget.
Intrepidus Gallus dum circum mœnia ſæuit.
Germani pedites, qum Mars uocat impete uaſto,
Hiſpanæq; acies, in campum exire parentem
Non ceſſant, italæq; ſuas modo pandere uires,
Et modo Santonicæ cuneos inuadere plebis.
Atq; referre nouæ præconia bellica laudis,
Hic noua Conradi, toto ſub tempore belli
Prænituit uirtus, dum in ſæuos explicat hoſtes,
Germanas, acri gaudentes Marte phalanges.

Cõradus Hes de Bombelberg, tribunus maximus peditũ germanorũ

Corradine tuam ſenſere hoſtilia dextram,
Agmina, gaudentem rapidos inuadere Celtas.
Te tandem uolucris rapuit uiolentia fati.

Corradinus ductor peditum germanorum.

Bartelio magnæ creuerunt undiq; laudes.
Quottidie excubias, patriis uir clarus in armis,
Ordine diſponens, tenet indelebile nomen.

Bartel Schoch de Eſlingen, procurator excubiarum.

Hic etiam Sangri fatum memorabile Pauli,
Non equitum Ducis extremi, lachrymoſa ſonantes,
Sirenes flerunt. quem poſt certamina duri
Martis, & aſſiduo concretam puluere pugnam,
Gallorumq; acies fuſas, uiolentia morbi
Suſtulit, & cœli lucentibus intulit aſtris.

Paulus Sangrius, ductor uelitum.

Nec tu Guarneri, per tanta pericula belli,
Antoni, reticendus eris, noua gloria gentis
Et decus egregium Siculæ, qui fortibus armis,

Antonius uala guarnerius ſiculꝰ

Semper inexhauſto geminans fera prælia Marte,
Inuictum monſtraſti animum. ſub turbine nullo
Mens tua ſuccubuit, conſueta repellere Celtas,
Imperio fiduꝫ patefecit ubiqꝫ uigorem.
¶Nunc iterum Gonzagha, nouos certamina plauſus

Cumulantur laudes Ferdinandi Gonzaghæ. Valerius Vrſinus

Iam noua parturiunt. nam obſeſſus in arce Valerus,
Nolana urſinus, ſubitum cupit undiqꝫ ferri
Auxilium a Gallis. qui tum miſere uolantes
Continuo pedites mille. hos Fernande repente
Aggrederis, ducens equites uelamine tectos
Albenti, & pedites, qui ſclopis nubila turbant
Flammiuomis iam quingentos. certamen utrinqꝫ
Crudele exoritur. ſtragem omni tempore flendam,
Cæſorum ex numero cumulas, mortem inter, & enſes
Quinqꝫ capis uexilla, nouam parientia palmam,

Victoria Ferdinādi Gonzaghæ.

Parthenopenqꝫ refers duri monimenta laboris.
Laudibus his clarus Fernandus & inclytus, hoſtes
Aggrediturqꝫ iterum. qua Auerſæ æquata pateſcit
Planities, rutilo multos interficit enſe.

Victoria Ferdinādi Gonzaghæ

Captiuos plures, Sirenum ad mœnia ducit.
Martis in auſpiciis ſemper nitet itala uirtus.
Sed quid agat Cæſar Cabanilius, edat Apollo,

Cæſar Cabanilius

Marqꝫ ſimul. nam dum poſcebant tempora pugnam.
Plus iuuene inuicto hic audebat. & arma reſumens
Fortia, in aduerſos tendebat feruidus hoſtes,

Oſtendes ſolitas uires, per tela cruenta
Intrabat cuneos Gallorum, & prælia tentans
Horrida, Santonici ſpargebat ubiq; cruoris.
Euripos uarios. latiis quem clarus in armis
Iōannes ſequitur frater, perſæpe furentem
Enſe cruentato ſuetus confundere Gallum.
At qum ſubſedit pugnandi feruidus ardor.
Non ludos Cæſar, non talos, ſiue fritillos,
Tractabat non Bacche tuos, per pocula, luſus.
Aurea ſed uatum relegens monimenta priorum.
Pierias intrare fores, uiridaria Phœbi
Noſcere, Muſarum ſtudiis incumbere ſacris.
Gaudet & internas ſophiæ comprendere partes.
Interea Galli dum feruet ſitius ardor,
Dum facies uitiata poli ſtagnante palude,
Auget mortiferam labem, & fatalia morbi
Semina. paulatim uario langore cadentes,
Deficiunt, miſeri cineres ſoluuntur in atros
Quo magis intereunt, tanto imprudentius inſtat
Obſidio Odetus. nulla ſub imagine mortis
Terretur. gaudet morientum cernere uultus.
Ignatuſq; ſui properantia uulnera leti
Non uidet. inſipiens pergit conſiſtere. nullam
Cœli intemperiem notat. aſpera pectora cunctis
Oſtendens, non conſilio, non uoce mouetur

Ioannes Cabanilius.

Galli paulatim deficiunt.

Imprudētia Odeti taxatur.

Comparatio.

Magnorum ſuadente Ducum, uelut ardua cautes,
Non medio commota mari, iam exercitus omnis
Languet & optatam tribuit ſperare ſalutem,
Cæſareis. ſtimulis animi Lautretius uti
Prudentis neſcit. tamen illi Gallia uires
Suggerit aſſiduas. italis ut pulſus ab oris,

Fräciſcus rex gallorum.

Cæſar cogatur, Franciſco reddere natos.
Quos tenet obſidibus ſimiles, ſub legibus æquis.

Horatius Baglionius interiit.

Baglionium inſignem, uallum munire parantem,
Viſentemq; ſuos pugnantes acriter, eictu
Ignea glans perimit. triſtemq; ad tartara miſit.
Ac dum nulla mouent tantarum uulnera rerum,
Odetum, nullumq; alti diſcrimen honoris,
Excitat. incipiunt paſſim decreſcere uires
Celtarum, retroq; fluit ſpes irrita belli.

Loiſius Andegauenſis moritur in oppido Vico.

Languet Nauarrus. mœrore Loiſius atro
Concidit & cœlum clamat, reperitq; gemendo.

O letus Lautrecius obiit.

Ipſe quoq; Aetnæo decumbit languidus æſtu,
Odetus, celeris per limina mortis abiuit.

Deſcribitur tēpus quo Fabritius Maramaldus Neapoli cum ſuis peditibus egreſſus eſt.

¶ Cœperat aurato percurrens æthera curru,
Virgineum Titan radiis accendere uultum.
Tum præuiſa nimis ſurgens Maramaldus ad arma
Fabritius, latiæ decus, & noua gloria gentis,
Præſcia uenturæ retinens præcordia palmæ,
Vt daret obſeſſis animum, fluitantibus unda

Ancipiti Martis. ductores conuocat omneis,
Conſortes bellorum omneis. queis talia fatur.
¶ Iam ſperata dies uenit. qua uincere turmas
Poſſumus hoſtileis. uictiſq; imponere legem,
Atq; inſuaue iugum. mea ſit prouintia latam
Nunc aperire uiam nobis. ego primus in hoſtem
Egrediens, uigil, intrepidus, uertam oppida, & arces
Ad Caroli imperium. uictricis ſemina palmæ
Prima dabo, primiq; feram ſub Marte triumphi
Principium ardenti. mea uos exempla ſequentes
Irruite, aduerſas & circuncingite turmas.
Dixerat. explicitis pedites legit undiq; ſignis
Delectos mille, & ſecum extra mœnia ducit.
Audaci celerat greſſu. iam Gallica fortis
Parui caſtra facit. dextro ſub ſydere pergit
Fabritius. poſt terga ſequens Hieronymus amplas,
Pugnaceſq; acies ducit, clariſſimus uſu
Bellorum, atq; manum miſcere per arma potentem.
Hic Sarnum ſubiit uictor, ſua mœnia ſeruat.
Poſt, Nolam ingreditur, ſub deditione recenti.
Proſequitur Maramaldus iter. capit ille Salernum.
Oppida, multipliceſq; arces, dehinc intrat Acerras,
Terrorem incutiens Celeis, ſolitumq; uigorem
Cæſareis reddens. tum primum albeſcere lucem
Qui in tenebris fuerant. animo uidere ſereno.

Verba Fabritii ma ramaldi ad omnes Duces & Milites Cæſareos.

Fabritius egredit' Neapoli.

Hieronymus tutta uilla comes Sarni.

Sarnum.

Nola.

Salernum.

Acerræ.

Capua. Fabritius ſua ſigna mouet. Capuamq; ſub alto
Pectore concepit. petit illam præpete curſu.
Iulius Campanus Venerat huc etiam Campanus Iulius, agmen
Fortis agens lectorum equitum. quem bellica ſemper
Gloria. quem uirtus comitata illuſtribus armis,
Extulit ad cœlum. Campanæ panditur urbis
Ianua. uultu hilari ductorem excepit utrunq;.
Fabritius gaudet uertiſſe ad Cæſaris altum
Imperium Capuam. nam inde omnis & ultima Gallis
Eſt pendere ſalus, & uiſa inſtare ruina.
Principium uictoriæ Fabritius dedit Principium a magno tanti uictoria belli
Fabritio accepit. qui ſicut primus in urbem
Intrauit Romam, proſternens fortiter hoſtem.
(Tunc urbs barbaricis iacuit direpta rapinis:)
Laus Fabritii Maramaldi. Sic primus clara Sirenum egreſſus ab urbe,
Impulit attonitos armis ſuccumbere Gallos
Cæſaridum. Maramalde tuum per ſecula nomen
Viuet: & inuictam tollet ſuper æthera palmam.
Capua. At poſtquam Galli Capuam nouere, ſequentem
Cæſareos. cecidere animis labentibus ultro.
Comparatio. Ceu fragiles celſa labuntur ab arbore frondes.
Linquere Parthenopen ſtatuunt ſub nocte ſilenti.
Ioannes Vrsinus Præſertim Vrſina oppreſſi. montem occupat ille
Hoſtibus extruſis, miſerandæ qui imminet urbi.
Iam pauidis, largus diſcuſſus nubibus imber,

Dat certam ſperare fugam. metus impulit omnis
Cedere. confuſi trepidant, tacitiq; recedunt

> Galli confuſi recedunt.

Mane ſub auroram, tum magni exercitus omnis
Cæſaris egreditur, flagrans portare triumphum,
Scilicet in Celtas abeuntes. protinus ardens
Ante alios Gonzagha, ſuos in Gallica ducens
Arma Ferentarios, trepidantem adoririer hoſtem,

> Cæſareus exercitus magno cũ impetu egredit̃ Neapoli.
> Ferdinandus Gonzagha aggreditur Gallos abeuntes

Incipit. & magno crudelem accendere Martem,
Impete. Germanorum acies cadit ultima, uicta
Fernandi auſpiciis. quæ Celtica ſigna ferebat,

> Victoria Ferdinandi Gonzaghæ.

Ac etiam media occumbit, diſrupta ſub armis
Dux generoſe tuis, Gonzagha. & præmia palmæ
Clara gerens, terquinq; capis uexilla. laboris

> Gõzagha.xv. uexilla hoſtilia capit

Sunt decora alta tui. tormenta hoſtilia tecum
Victor agis, duciſq; alacer, hic Cæſaris omneis
Aſpicias acies, fugientum terga prementes.
Vruinas properat. magnus ruit undiq; forti

> Ioannes Vruinas

Enſe Seuerinas, Soboles Cabanilia, clarus

> Ferdinandus Seuerinas princeps Salerni.

Didacus, & Cæſar, Ioannes, Martius heros
Garlonius. mouet æratam Vitellius haſtam.

> Antonius Garlonius Comes Alliſarum.

Interdum pugnant Galli languentibus armis,
Paulatimq; retro cedunt. nunc prælia miſcent
Aſpera. nunc reprimunt motus in Marte calentes.
Nauarrus capitur. cuius cuſtodia magno

> Petrus Nauarrus capitur.

Commiſſa eſt Didaco. ceciderunt ſanguine fuſo

Plures Gallorum. plures ſub uulnere triſtes

Multi ex Gallis interficiuntur.

Multiplici fugiunt, tormentaq; cuncta relinquunt

Cæſareis. Fernandus adeſt, noua prelia poſcens.

Ferdinādus Gonzagha iterum Gallos inuadit.

Atq; iterum Gallum aggreditur, Rangonius acri

Rangonius monet ſuos conſiſtere animo forti in pugna.

Mente uigil, pauidas accendere ad arma phalanges,

Non ceſſat, fortiq; monet conſiſtere uultu.

Tria millia militū ex parte Gallica Auerſam intrant.

Auerſam tandem tria millia, caſtra ſequentum

Gallica mox ſubeunt. quæ dira ex cæde ſuperſunt.

Poſtera lux terris affulſit. Cæſaris alæ,

Auerſa obſidetur a Cæſarianis.

Auerſam obſidione premunt. Philibertus habenas

Fortunæ laxat. cupit urbem inuadere, & acri

Expugnare manu, ac Gallos demittere ad orcum.

Ductores Celtarum animis concordibus omnes,

Cernentes, non uelle ſuas pugnare cohortes,

Spe uidui, & longo defeſſi tempore belli,

Conueniunt Duces Gallorum cum ducibus Cæſareis

Cum Ducibus Caroli mox conuenere gementes.

Scilicet hac lege, ut cuncti ſua tela relinquant,

Cornipedes etiam uictori, ac uulgus inerme

Cederet, armatum duntaxat arundine dextram.

Guidus Rangonius, Marchio Saluiarum.

Rangonius liber, princepſq; Salutius eſſet

Captiuus. ceſſit mox cætera turba repente.

Confuſiq; abeunt Celtæ, ſine ueſte, ſine armis.

Loiſius Accius patius.

Accius hos tutos uſq; ad confinia regni

Aſſociat, fidei ſeruato Iure Loiſus.

Poſt cuius reditum partim popularibus armis

Intęriete, humeros & partim uerbere læſo,
Contuſi, in patrios laceri rediere penates.
Hæc finis Gallis, turbantibus itala regna.
¶ Aſpicias Cæſar, tua quanta potentia in orbe
Fulſerit Auſonio, quam ſit metuenda per omneis
Terrarum, pontiq; ſinus. dum clauditur intra
Parthenopen, tuus a nullis exercitus armis
Territus, inuicta fert omnem mente procellam.
Ferre ſitim, tolerare famem, contagia peſtis
Horrida nil ueritus. (patiens terit omnia miles.)
Laſſauit Galli, lentando bella, furorem.
Et tandem illuſtrem, ſuperato ex hoſte, triumphum
Retulit. imperii late ſplendeſcere uires,
Fecit. & inuictum Caroli reuireſcere nomen.
Hac lege, Italiæ ut cunctis timeatur in oris.

Apoſtrophe ad Cæſarem, Carolū

FINIS.

¶ Cautum Cæſareo edicto, ne quis alius, in ditione
Imperii, impune hoc opus excudere
audeat, inſcio Querno Archipoeta.

IOANNIS PHILOCALI TROIANI,

De Querno Archipoeta,

AD Cæſarem.

Gaudia quanta Iouem, Phlegram dum cantat Apollo,
Exhilarantq; alios gaudia quanta Deos.
Tanta, tuas laudes memorat dum carmine Quernus,
Auguſte exhilarant teq;, tuoſq; Duces.
Hunc nos dum legimus (fateor) dubitamus, an hoſtes
Tu melius uincas Cæſar, an hic referat.
Nec tibi maior erit, Gallos uiciſſe, triumphus.
Carmina quam uatis promeruiſſe ſacri.
Alter enim populos, mortem tibi ſubiicit alter,
Ille & Cæſaribus te inſerit, hic ſuperis.

¶ Impreſſum Neapoli, cura & diligentia, Ioannis Sultzbach, Hagenouẽſis, Germani, & Mathæi de Canſis Bioneſis. Anno Virginei partus. M. D. XXIX. Menſe Octobri, Imperante Carolo. V. ſemper Auguſto.

620 . 9 . 3
48 . 0 12 .

139 2 17 1
117 1 7 2

44 . 1 . 9 . 4

117 1 7 2
14 1 20
131 . 2 . 17

1500
300
500
2180

1
21
721
1944
3256 | 13
2344
23

7342 3 . 11
7244 2 . 18
7098 0 . 3
7342 . 3 11

Jesus maria

Allegationes ciuiles et canonicae

conclusiones mathematica

Leonoretta cara e bella
Bella piu, ch'ogni bel fiore;
non mi metta il vostro Amore
In tal pena cruda e fella.

Sventurato e stolto fui,
(poiche sto sotto Carciarmi)
Quando presi ad amar lui.
A servirui et adorarui.
Non posso piu celarui
la bellezza singulare
che da voi riceuo un mare
di speranza e di timore:
Non mi metta il vostro Amore
In tal pena cruda e fella.

Quante Donne belle io veggio,
non deria altra seruire,
per cui uo sempre al morire.
Ahi falace, e uan desire
Ahi bellezza al mondo kara
onde l'alma trista impara
di esser uostro seruitore
Non mi metta il vostro Amore
In tal pena cruda e fella.

Benche tacca o mia Signora
che da uoi uenga il martire,
Amor e la uincitora
Alora chi mi fa morire,
costei sola col suo dire
mi può fare questa mortale
mi può fare ogni gran male
Senza colpa del mio Core
Non mi metta il vostro Amore
In tal pena cruda e fella

41/1995
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
LAB. RESTAURO
ROMA

BIBLIOTECA